X-W-2.14

Q. D. B. V.

EX POLITICIS,

Utrum Tyranno,

impia jubenti, resistere possint subditi, & quomodo?

A. D. XXVIII. Februarij. A. S. clɔ Iɔc LVII.

PRÆSIDE,

MICHAELE WENDELERO D. & P. P.

Publicè disputabit,

M. JOHANNES FRIDERICUS Horn
BRIGA-SILESIUS.

H. L. Q. C.

WITTEBERGÆ
Literis RÖHNERIANIS Anno 1657.

FELICITER!

I.

MAgna quidem hominis dignitas, quâ præminet non solùm egregiè & antecellit omnia; sed eadem quæ superat, etiam tenet subjecta: multò præstantior tamen sors Principes Regesq; contingit, quorum in manu & cætera, quæ usui possunt esse mortalibus, sita sunt; & potestati ipsi qui' reliquis imperant, homines obnoxii reperiuntur. Illud magnificum sanè atq; illustre satis erat, hominem cuncta quæ usurpat oculis, sibi condita nosse: istud verò augustius, ipsum hominem dominum talium regere, & eò ipsò communem sortem præterire. Nihil mortale arguit hæc excellentia: divinitatis testimonium habet. Neque enim temere putaverim esse, quod divinis titulis ornentur passim reges, & ab ipso vivente Deo Deorum nomine insigniantur sæpissimè. Enimverò harum denominationum origo paganorum superstitiosæ adulationi, aut impotentissimæ tyrannorũ ambitioni adscribitur nequicquam; quum vel ante Domitianum, & similes tyrannos, qui se Deos Dominosq; vocari passi sunt, sacratissimæ litteræ priscos Judæorum magistratus eò honore dignentur, & imperantium cætum, filios Dei reclament.

II. *Insuper ipsi Imperatores*, qui Christo dederunt nomen, prò numine habitos, oracula edidisse, passim in legibus suis memorantur. Hinc divina eorum vox, cœleste oraculum, sacri affatus: inde numen, atq; æternitatis decreta; quin adyta, sacra auditoria, sacra palatia, & qvæ ad principem spectant, omnia sacra, leguntur. Idq; haud immerito. Sive amplissimum, quod sustinent munus, spectes, sive dominum cujus vices obeunt, digni videbuntur eâ majestate. Qvid magis arduũ, quid simul dignius tamen, qvàm tot capitibus, imponi caput? nihil vulgare referunt nec ex superficie aut communi hominum conditione sunt æstimandi. Divinum gerunt officium; quum imperare nobilissimæ creaturæ, præmiis afficere bonos, qui intra decori cancellos se continent, rapere ad pœnam, qui legum septa transiliunt contràq; honestatem impingunt, atque moderari adeò

maria, terras totum hoc universum, & qui in eo primas tenet, hominem, solius Dei sit. Hic ipse, cui plenissimum regnandi jus competit, principes constituit Optiones, qui partes has in se recipiant, & exsequantur adeò, quod supremo judici atq; rectori conveniebat.

III. Quæ cum ita se habeant, imperantes officii delegati memores, suarum partium arbitrabuntur, summâ contentione in id eniti, eâ ratione præsint rerum summæ, ut conservetur communis quies atque tranquillitas, & ipsa civilis beatitudo sibi constet. Itaque procurabunt potissimum, ut subditos suos quàm optimos, & omni virtutum genere ornatissimos efficiant: & ipsi Principes honesti retineant amorem, quo nihil cogitent, suscipiant, aut gerant, nisi quod decorũ sit, ipsoq; solo dignum; & referant adeò, cujus in ipsis imago sit expressa. Nam ut Deus non Maximus tantùm, sed Optimus simul est, cujus infinita virtus nihil quicquam approbat, nisi quod bonitatis legi congruit: ita principum quoque fuerit, quibus potentiam & majestatis splendorem communicavit Deus, studere omni opum vi, ut censeantur & sint optimi, & exactè supremum Dominum bonitatis æmulatione repræsentent, non magnitudine solùm.

IV. At verò subditi rectè atque ex ordine faciunt, quoties constitutum principem non aliter quam Dei vicarium suspiciunt, rati, non homini præstari tum honorem & reverentiam, tum obsequii promptitudinem, sed ipsi, qui præfecit, Deo. Cui parendi necessitas quum imposita cuilibet ex lege creationis sit, non detrectabit ejus imperium quisquam, si jusserit semetipsum in Principe honorare. Nec ullus temerè parentium tàm horrendo perduellionis crimine se obstringet, qui respuat regem, cui summam potestatem in se concessam noverit cœlitùs, & viderit insuper, quàm referat exactè imaginem delegantis, tot virtutibus stipatus, quas in eo confirmatas sentit, & in subditos propagatas propagandasq; animadvertit. Non est quod se comparent aliter, cum & publicæ rei hoc suadeat communis utilitas, & cœlestis edicti carmen jubeat idem, & præsentissima pœna maneat delinquentes. Contemnitur haud tutò, qui sui contemptum ferro ulcisci potest quò armatus à Deo rex est, qui

sicut

sicut facilitate suâ divinam imitatur clementiam: ità verò se veritate pœnarum in reprobos animadvertit ut cœlestis justitiæ simulachrum haud dubiè relucere in eô videatur.

V. Interim non optimus semper contingit populo rex, sed pessimi quiq; non raro id fastigium tenent. Potissimùm quando hæreditario jure conceditur successio, ubi accipiendus ac retinendus est, quem nascendi sors prætulit aliis. Et quanquam electionis major sit libertas, quæ dispicere quaquavorsum potest, ut sumatur Optimus; fallitur nihilominus humana solertia, quòd fucata à veris haud semper discernere potest. Ad hæc varium ac mobile principum non infrequenter ingenium est, ut non exequantur strenuè, egregiè quæ cœperant. Initia siquidem plurium eorum laudabilia plerumq;, sed declinat finis. Immissi enim in hunc regnandi campum, in ipsis carceribus, & confecto etiam aliquô spacio ostentant vel simulant virtutem progressi aliquousq; desciscunt ab eâdem, & non gradu, sed præcipiti cursu ad vitia transeurrunt. Sive ipsius naturæ culpa, quæ benè actæ vitæ quasi pertæsa, in contrarium ruat; sive ipsius imperii vitio, quô plerumq; accidit, ut fortunam & regni licentiâ mutâr, etiam naturam dediscant. Quod si hæc talia veniant usu, & antè habitam vel simulatam bonitatem exuat animo, sordidisq; moribus inquinet; mentem annè subditi præstare obsequium ipsi tenebuntur? an potius spretâ majestate eundem deturbare solio poterunt?

VI. Turpitudinis quidem & indignitatis non effugient notam, quoties reges, qui virtutes parentium animis exemplorum vi & efficia in eulcare debent, primi relinquât, & pessimô publicô indulgeant suo animo, vitiaq; in rempubl. introducant: cæterum non fas erit subditis pristinam obedientiam ipsis denegare quum talem supremus Dominus ferat, inq; veteri loco positum relinquat; sive indulgentia solitâ ac conniventiâ, ut redeat ad frugem; sive imperscrutabili quadam providentiæ lege, ut subjectum cœtum, qui procul dubio affinis culpæ erat, imperantis improbitate & sævitiâ moneat atque castiget. Consuevit enim ferè Deus contumaciam populi deficientis à bonis rectorum crudelitate punire, ut agnoscant, quàm à benigno domino

mino desciverint, cujus observare præcepta oportebat, & comparatione institutâ inter præsentis immanitatem pristinamque conditionem, se ad Deum convertant; ferentes interim impositum onus, reputando secum, sæpè remittere vitia, & aliquem non semper esse pessimum. Appositè sanè ac eleganter Tacitus. *Quomodo sterilitatem, aut nimios imbres & cætera naturæ mala, ita luxum & avaritiam dominantium tolerate. Vitia erunt donec homines, sed neq; hæc continua, & meliorum interventu pensantur.*

VII. Invenias tamen non raro Principes, qui non tantùm vitiis obruti sint ipsi, sed ejuratâ quasi humanitate, in idem lutum alios detrudere conentur, & præcipiant ejusmodi, quæ approbatæ non solùm consuetudini repugnent, sed ipsi honestati, & mentibus hominum inscriptæ legi contraveniant, & salutari adeò Dei verbo sint oppositæ. Nunc si talis vel gentilis vel impius contingat populo rector, & eas ponat leges, quæ jubeant prohibita divinis, vel prohibeant mandata; citra omnem dubitationem sistet debitum aliàs obsequium, & pluris faciet divina monita, quàm tyrannorum deliramenta, sciens Deo magis esse, quàm hominibus obediendum. Tenetur quidem populus obedire principi; sed & Deo: atque Deo, tanquam supremo regi, qui suam potestatem non aliunde agnoscat: principem ut vicarium atque ministrum Dei reverebitur, & parebit etiam, quamdiu se talem præstiterit.

VIII. *Principi enim deberi* obedientiam, quamdiu secundum tenorem institutionis regnat, divinâ lege cautum est: eadem edicit, danda simul DEO esse, quæ DEI sunt. Quo pertinent observationes præceptorum sacrorum, & puritas conscientiarum, in quas nullum jus gubernatori esse voluit Deus. Quoties verò invertitur ordo nec iis, quæ ipsi debentur, acquieverit princeps, invadit aliena quæ DEO competebant, ac in ipsas cõscientias sibi præsumit jus; subditi, tanquam resilienti à fœdere domini, non parebunt: sed fidem Imperatori summo præstabunt in temeratam. Laudabiliter hoc *Suidas* de Auxentio memorat. quem, cum Licinius uvam ad Bacchi pedes ponere jussisset; *absit*, inquit, *Imperator, Christianus*

enim

enim ego sum, urgente tamen Licinio, ut vel exequeretur mandatum, vel relictâ militiâ inde faceſſeret, nihil cunctatus Auxentius, & ſolvit zonam, & ſtatim alacer palatio exceſſit.

IX. Sed prona & in aperto ſunt omnia, quod plurima in Sacris approbata exempla nos dubitare patiantur neutiquam; & ipſa gentiliũ Philoſophorum monita idem doceant. Quomodo tamen ſe comparare debeat populus, utrum rapiendo arma indicere bellum & deturbare ſolio tyrannum poſsit, ſi furientis rabies ulterius tendat, & ad pertinaciam non obtemperantium, ſive coërcendam, ſive vindicandam puriori cultu divino interdicat populo, & fidei integritatem violet, ac orthodoxam doctrinam evertere funditus atque delere ſatagat? id vero egregiæ difficultatis res eſt. Reperiuntur plures magnæ auctoritatis viri, qui hoc aſſerere non dubitent, affirmantes, poteſtatem competere populo, & imponi ſimul neceſsitatem reſiſtendi non tantum regi, ſed deturbandi quoque eundem, ſi quid contrà leges patrias aut divinas admiſerit. Nihil attinet in præſenti horum ſollicitare ſcripta; dabitur fortaſſe tempus, quò in eadem inquiremus altius, ſcrutaturi quid ſolidi contineant: nunc in negantium imus ſententiam, fundamentis eandem firmiſsimis ſtabilituri.

X. Ut percipiatur autem accuratius, de quò diſceptetur propriè; illud melioris cognitionis cauſſæ ante omnia præſupponimus: nos de principe qui revera talis ſit loqui; nec intelligere illos, qui nomine quidem dicuntur reipſa non ſunt; & autoritate magis, quã imperio regunt. quales Lacedæmoniorum fuerunt reges, qui Ephororum poteſtati per omnia fuerunt obnoxii. Neq; enim hic miſtam intendimus remp. quæ Monarchiam quidem præ ſe ferat, ex optimatibus tamen & proceribus regni dependeat pariter. Nam in eâ civitate ſi rex aliquid moliatur, optimè à proceribus & admoneri & coërceri, & ſi ad ſanam mentem redire noluerit exauctorari poteſt: utpote quibus æqvum & ſæpe majus imperium, quam regi competit; & curæ incumbit proſpiciendi ſollicitè, ne reſp. capiat aliquid detrimenti.

XI. Mul-

XI. Multò minus, hæc dicta volumus de optimatum statu, quorum aliqui principes vocantur civitatis, non quod soli, sed primi magistratum teneant. Etenim si talis prævaleat unus, qui summa imis misceat; cæteri eum jure meritòque coërcebunt vi, & ejicient suo ordine, qui perniciosis consiliis non eunt intacti, quod tamen de collegis fieri debet & consortibus imperii: quum subditi hîc similiter excludantur per ea, quæ mox adjicientur. Remotis igitur illis, quibus Principum competebat nomen, non ipsum imperium, disputamus de eo, cui majestas soli tradita est: qui summum imperium exercet in omnibus civitatis partibus, cui subditi sunt universi, non singuli tantum; ipse vero nemini pareat. Huic soli, si quid contra divinas leges præcipiat, parendum quidem minimè; sed nec deturbandum eundem esse, dicimus: tolerandamq; injuriam potius illatam propterea, quàm expellendum violentiâ inferentem. Quam sententiam non solùm rationes civiles fulciunt; sed sacrarum literarum testimonia quoque stabiliunt, & ipsa piorum exempla confirmant abundè.

XII. Eleganter Jurisperiti statuunt, eâdem ratione quid dissolvi posse, quâ principio fuerit constitutum. Id quod non absurdè ad principum exactionem applicatur. Quos cum solus Deus constituat, & instruat potestate; etiã solus ad pœnam, tanquam supremus atque legitimus judex, rapere potest: populus verò qui potestatem dare nullam valuit, neque eâdem privabit. Et hoc est, quòd non temerè, sed notanter planè dixit David: *Tibi soli peccavi* ad quem locum Hieronymus: *Quod rex erat & alium non timebat.* Et Ambrosius. *Rex erat, nullis ipse legibus tenebatur, quia liberi sunt reges à vinculo delictorum: neq; enim ullis ad pœnam vocantur legibus, tuti imperii potestate. Homini ergo non peccavit, cui non tenebatur obnoxius.* Hinc illud dictum M. Antonini Philosophi: *Nemo nisi solus Deus, judex principis esse potest.* & rectè Tacitus: *Principi summum rerum arbitrium dii dederunt, subditis obsequii gloria relicta est.* Quæ loca pluribus talibus illustrata congruè annotavit politissimus Grotius Lib. I. de Jur. Pac. ac Bel. c. III. §. VIII. & XX.

Ex

XIII. Ex quibus satis apparet, plenarium majestatis jus spectare ad regem; cujus proprietas sit, nulli subjacere; ponere leges potius, quibus obligentur subditi, neutiquam ipsarum lator: & illud sponte consequitur, puniri à populo non posse, qui superiorem ex populo neminem agnoscit. Necessum est enim, ut vel superiores, vel ad minimum pares sint, qui legitimam inferre vim, & ad supplicium trahere volunt delinquentem: populus verò neque parem habet cum principe dignitatem, quum cogatur ubique subditus esse, multò minus superiorem. Benè igitur apud Senecam dicitur. *Æquum atq; iniquum regis imperium ferat.*

XIV. Duplex præterea initur via, qua illatas injurias ulcisci possumus; altera quando legitimo judiciorum tramite jus nostrum persequimur; altera, quando bellorum impetu violentiam propulsamus. ibi judex, hic victor à maleferiatis pœnam sumit. Neutra tamen conceditur multitudini. Quod enim judicia concernit, in quæ trahere volunt principem, ad majestatem eadem pertinent, quâ subditi carent. Quare judicio haud condemnabitur, qui summum judiciorum facultatum obtinet, ab iis qui nullam, ipsi judiciis insuper parent, nemo enim potest judex adversus illum nominari, quo inferiore universi sunt: contrariatur naturæ ac rationi judicari superiorem, dominum à servis, publicam personam à privatâ. Frustra sunt qui ad magistratus provocant, quos privatorum eximunt loco, & ideò judices regis esse posse asserunt. quasi verò non privatorum numero & hi censendi sint, & eandem sustineant potestatem, relati ad regem, quam cæteri. Nam quicquid videntur imperii habere, id omne debent principi, à quo communicatum id habeat totum: qui si detrahat manum, & recipiat dignitatẽ, privati ac nudi adstabunt, nihil pristinæ dignitatis retinentes. Non aliter de belli inferendi jure arbitrandum est, quod similiter ad principem, non subditos spectat. quare nec impeti bello à plebe poterit princeps, cujus decernendi potestas penes hunc solum residet. Nisi publicâ auctoritate nullum justè geritur bellum quam pro se allegare non possunt, qui eam oppugnant. Relinquitur inde principem abutentẽ imperio, & affligentem

subditos, neque bello coërceri, neque judiciis damnari aut pœnis affici posse.

XV. Quapropter remittenda hæc talia supremo judici Deo sunt, qui officii sui nunquam erit immemor, sed vindicabit severissimè, quicquid in populum suum fuerit admissum. Et hoc est, quod expressè sibi reservavit Dominus, non in veteri saltem Instrumento, at recentiori quoque Fœdere luculentissimis verbis. ita enim Doctor Gentium ad suos Romanos c. XIII. 1. *Quisquis obsistit potestati, Dei ordinationi obsistit; qui autem obsistunt, ipsi sibi condemnationem afferent.* Rationem dederat in præcedenti Apostolus: *non est potestas nisi à Deo: & quæ sunt potestates, sunt à Deo ordinatæ.* & mox subjicit. *Dei enim minister est, qui potestate fungitur &c.* hinc concludit: *Quapropter necesse est, subjici non solum propter iram, sed etiã propter cõscientiam.* Eadem leguntur apud Petrum Epist. I. c. II. v. 18. &c. *Subjecti estote cuivis humanæ ordinationi propter Dominum: sive regi, ut supereminenti: sive præsidibus, ut qui per eum mittuntur &c.* Et hîc etiam malis præstandum honorem addit, hanc ob causam: *Hoc cedit gratiæ, si quis propter conscientiam Dei, sufferat molestias injustè afflictus. Quæ enim est gloria si peccantes & colaphis cæsi subsistatis? sed si benè agentes, & tamen afflicti subsistatis, hoc cedit vobis gratiæ apud Deum.*

XVI. Id quod omni tempore à piis observatum, qui acceptas injurias à tyrannis non vindicatum ibant ipsi; Deo talium vindici commendabant, cujus invadere nolebant jura. Quem Israelis pastori Ægyptiacâ premerentur servitute, & Pharaon cum tota gente Ecclesiam exstirpare immane quantum laboraret, & quisnam esset Dominus, cujus mandato deberet esse obnoxius, blasphemâ voce quæreret, tantum abest, ut eum deturbare solio fuerint ausi, ut sueta potiùs servitia obierint porrò. Nec est, quod peregrinos eos dicat aliquis, quibus exinde potentia insurgendi contra regem non fuerit data; vel causset numerum exiguum, quô contra Ægyptiorum gentem stare haud potuerint. Promptiores enim proculdubio fuissent ad sumendam vindictam, peregrinorum, non civium, jure usi. At transierant jam dudum in subditos, & à Pharaone non aliter regnaban-

bantur, quàm Ægypti incolæ, origine saltèm ab iisdem & religione distincti. Suffecisse facilè numerus, si non ad occupandam terram regionem, negotium tamen facessendum eidem, injiciendumque metum, quò desisteret tyrannus à præjudicatâ sævitiâ, & populum liberum imposterum liberiùs tractaret. Non audebat tamen illa multitudo, quum transfugarum instar insectaretur dimissos, resistere: adeò regalis splendor reverentiâ incusserat subditorum animis. Huc accedebat maximè sacramentũ quo se obstrixerant Ægypti regibus; sine quo si fuisset, non dimissionem postulasset Moses, sed sponte sua cum multitudine perrexisset in suum locum.

XVII. Haud aliter Saulis tolerata fuit tyrannis: quum enim octuaginta Sacerdotes simul interficeret, non mediocriter affligebat Ecclesiæ statum. Prætexebat quidem conjurationem cum Davide: revera tamen ejus crudelitas potissima reatus causa erat. Poterat forsan Sacerdotale collegium suam interponere auctoritatem; poterant & Seniores suam, quæ maxima erat: sed intelligebant non corrigi debere hæc admissa, quæ animadversioni divinæ erant reservanda, nec etiam involanda, quæ supremæ majestati propria. Sedebant igitur quieti, expectantes tyranni exitium, non maturantis; cum in aperto esset, unctum Domini violandum sacrilegâ manu haud esse.

XVIII. *Ecirco & David* parcit Sauli, licet teneret eundem ferè captum, & causa quoque esset vindicta digna. Nam si penitius intueamur Davidem vix poterat privatus videri, qui in egregiam regni spem adoleverat hactenus: qui unctus à Sacerdote, destinatus eidem erat scepto quod rex impius tenebat: qui tot præliorum dux contra Philistæos felicissimè gesserat res propterea que dignus habitus, qui invicto erga pericula animo cæsis, quibus triumphi instar decernebatur Michael, hostibus, gener regis sumeretur. Et quanta fuerit eâ & insequente tempestate Imperatorum auctoritas, ex eorum gestis satis notum est: in bellicis præcipuè tumultibus, ubi eorum usus erat maximus. quod Abner Saulis exercitibus præfectus, & postmodum quoque filii ejus Dux abundè docuit, quum eam sibi arroga-

ret, quà non tantùm regi resistendi licentiam, sed ipsum regnum in suâ manu positum affirmaret. Excitassent hæc talia Davidis animum, ut moliretur, si non interfectionem, exactionem tamen regis: qvum faverent plurimi non ex populo saltem: sed & proceribus regni: at veniebat ei in mentem lex regia, quam tulerat Deus de non contemnendo principe, deq; non violandâ ejus Majestate.

XIX. Durum videtur sanè ita patientiæ lege subigere, ac eò indurare animum, ut facilitate suâ supplicium etiam immeritum subeat: quum, si non singuli vel multitudo possit movere, ut consilia mitiora ineamus. annè propterea afflicti universi infringere poterunt impotentem tyranni furorem? Accidat enim in rebus hujusmodi, ut Tyrannus non uni atq; alteri præcipiat in honesta, contraria fidei injungat, sed egregiam Ecclesiæ partem, urbem, vel regionem velit evertere: omnesque ad gladium condemnet, qui non dicto fuerint audientes; & in eò cœtu sint, qui de Christianâ re meriti optimè, egregium publicè promovere latissimè valeant. Annè hos omnes, & tot lumina rei pietatis exstingvi, & trucidari miserrimè patiemur, quos exitio feralè obsequium destinavit, subtrahendos eidem solâ repugnantiâ? Grave atque ambiguum omninò est negotium, definire sententiam: interea quos indignò parendi jugo eximimus, iisdem ulterius laxabimus vincula, atque in manus dabimus arma, & concedemus pariter resistendi facultatem jurè meritoq;. Ut elidatur tyranni truculentia, suâ pressis asseratur libertas, & verbo Dei nihil decedat: sed Ecclesia conservetur magis magisq;, ac vires ac incrementa capiat, quo gravius premebatur antè.

XX. Absit tamen ut cœco impetu involemus arma: cautiones adhibebimus prius, quàm hæc violentiæ permittamus. Præsupponimus enim, extrema servitutum ferè imposita, subditorũ preces nullũ habuisse pondus, & sparsas quoq; minas profecisse nihil, quò sublevarentur onere: nunc eò deveniisse rem, ut mactandi ovium instar sub carnificis ferè versentur manu, & præsentissimum immineat exitium, quo non ipsa civilis tantum societas dirimatur fœdè, sed Ecclesia quoque corrumpatur

tur turpiter, si obsequio veniat locus. Sic comparatis rebus et carceris squalore, & tyrannidis dominio, educimus ad tempus, &, dum erumpendi datur facultas, in unum congregamus omnes pressos atque afflictos: quin militarem induimus cultum quo se tueri possint, contra adversariorum rabiem. Indidit enim natura cuiq; suæ salutis curam, atque dicta vir adeò, violentiâ si aliter declinari non possit, pari vi repellendam: ut omne quod tutelæ causâ factum sit, jure factum æstimetur. Hinc & brutis connata videmus arma, quibus resistant infestis ac noxiis, & illata in injuriam vindicare possint.

XXI. In privatâ vitâ parentum auctoritas Sancta & inviolabilis non immeritò censetur, & gravissima in parricidas constituta sunt supplicia: quod si tamen eò vel furoris vel dementiæ deveniat pater, ut stricto ferro ad oriatur filiu, transfigendum, nisi resistat & inhibeat nefarium conatum, filius simul capiat arma, declinandi tamen, non inferendi ictum, animo: extra culpam nonsolùm positus erit filius, sed laudem merebitur insuper, quod & de propriâ vita sibi prospexerit prudenter, & tantum scelus parricidii restando à patre averterit. Quod si privatis ac singulis hominibus illud competit jus: sic civili societati denegatum haud est, ut contra externum hostem se tueatur: neque diffitebitur quisquam pluribus eò magis licere ob conservationem neque caducæ neque fugitivæ, sed cœlestis atque æternæ rei, stringere gladium, si non vindicem, tamen tutelatem. Neque ulterius privilegium resistendi se extendit, quàm quatenus tutela spectatur. quare nec bello petent tyrannum, nec infestabunt reliquos innocentes subditos; multò minus, licet prævaleant ac superent multitudine, invadent regnum, aut dignitate regiâ Dominum crudelem spoliabunt: potius si ad sanam redierit mentem, & de securitate subditorum imposterum pollicitus fuerit liberaliter, pristinæ potestati sub jacebant, ostendentes ideò se non à principe, sed malo desciviſſe.

XXII. Videbitur lubrica ac præceps quodammodo hæc via: munienda igitur erit, quò ponere gressum queamus firmiter; quin eligendus dux erit, cujus vestigia sequamur. Et

reperiemus facili negotio in sacris memoriis ipsum, quem paulo antè laudavimus, Davidem, qui prælucebit facem, & viam, quam ipse tali periculo comprehensus cum exemplo ad posteritatem grassatus laudabiliter est, monstrabit benignè. Notum est quomodo Saul Israelis rex Davidem generum suum omni virtute civili absolutissimum virum, prælatum sibi ægrè patiens, odio habere cœperit. Postquam enim Saul à Deo esset rejectus, & David ejusque virtus in ore versarentur omnium, viri fortitudo formidolosa evadebat: quare metuens Rex, ne ad illum dignitas regia devolveretur, quod populo acceptus erat, deperdendo cogitabat sollicitè. Sed qvum furtivæ artes procederent minus, aperto petiit Marte, quem dolo non poterat capere: inde collectâ militari manu persequitur Davidem, ut extirpet, quem nolebat successorem.

XXIII. Num propterea tamen se mactandum offerre debebat David impio socero, qui nec jura civilis societatis respiciebat, nec gentium curabat adeò, & in sanguinis proximitatem erat injurius? Minimè verò quin potius arripit fugam, qua sibi consulat; eâque concessâ comparat manum ex iis potissimum, qui ab simili clade domo profugi, acerbiori pœnæ videbantur reservari: non alio fine, quàm ut innocentiam suam suorumq; protegerent. Enimverò haud aliâ mente societatem inierant, quàm ut effugerent regis tyrannidem; & esset tamen in quo poni aliqua posset spes, si ad arma ventum esset, infringendi subitaneos improborum insultus: interim ita se comparant, ut majestatis reverentiam haud deposuisse deprehendantur. Nam David cum exilii sociis neutiquam divexat adversarii regiones, neque cohortibus suis in agrum alicujus facit impetum: quin tuetur magis, cum infesto exercitu eò pergerent hostes. Sectatur insuper avia & quærit latebras potius, quàm ut formet aciem, & apertâ vi insequentem lacessat regem: cumq; posset eum aliquoties opprimere, abstinuit tamen à cœde invictissimam manum, & turbulenta suorum consilia deflexit in melius; pugnaturus nihilominus, si omnis elabendi spes præscideretur, si ignominiosæ mortis immineret periculum: &, ne inultus periret, editurus stragem. Non eò quidem

dem animo, ut principi suo violentas inferat manus atque eundem perimat; sed castiget eorum levitatem, qui obtemperarunt regi impia jubenti, atque coerceat adeò intempestivum obsequium.

XXIV. Non desunt, qui hanc resistendi facultatem planè detrahunt populo, & propterea ab alterâ parte jus majestatis quam maximè urgent, quod non obsistendum esse superioribus expresse dictat: ab alterâ objiciunt tot martyrum cædes, quorum innocenti sangvine fœdati gladii, patientiam præscribunt potius, quam qualem qualem vim. Tot millia confessorum letho dati, qui noluerunt contravenire divinis præceptis, nec obtemperare impia mandantibus: ideòque hanc sententiam satis superq; confirmarunt. Non enim vi propagandam censebant veritatem cœlestem, & armorum strepitu; sed hilari & alacri ejusdem confessione, & obsignatione pretiosa, quâ ostenderent, firmiter se credidisse, quæ hactenus fuerant professi.

XXV. Quicquid tamen sit, nondum evincitur satis, quod hâc in parte ab adversariis proponebatur. Nam quod martyres concernit, qui potius habuerunt vitam ponere, quam vel gerere morem dominis impia jubentibus, vel iisdem resistere; id eò haud pertinet, quasi ex lege Christianæ professionis ad hoc fuerint obstricti, quum nullibi præceptum à Deo inveniamus, ut sine omni circumspectione jubeamus tradere spiritum, quoties libuerit tyranno. Dicendum igitur potius quod nec fugere, nec ob paucitatem se tueri potuerunt pressi. Nam primæva Ecclesia dispersa hinc inde erat, ut facile in unum haud possent congregari omnia ejus membra; potentes insuper erant tyranni; qui eam conjunctionem & dissipare & opprimere valebant: iccircò afflicti Christiani nihil ad sui defensionem ex imbecillitate moliri poterant; sed rapiebantur cum impetu ad supplicium, vel negaturi Deum, vel missuri sangvinem impiæ crudelitati. Necessitatis igitur inevitabilis erat qvum deprehensi sub carnificis versarentur manu, ponere vitam; quod aliter sibi haud constitisset eorum ratio: non simplici-

pliciter manda tum fuit, ut se sponte sua offerrent jugulandos. Etenim eos post interfectos fugâ sibi consuluisse novimus, &, ut evitarent immanem sævitiam, in petris ac subterraneis locis delituisse: quod fecissent minimè si jure fuissent cædendi. Quod ergò necessitate coacti passi sunt, ad alios quasi à jure postulatum, extendendum haud est.

XXVI. Sunt equidem non pauci, qui se ultrò stiterunt persecutoribus, abjectisq; armis, quibus defendere se, & hostem arcere poterant, trucidari sustinuerunt. De Thebæâ Legione præprimis narratur, eam, à Maximiano Cæsare ut Idolis sacra faceret compulsam, non gessisse morem? & qvum decimus quisque per apparitores esset interfectus, inermem se universam occidendam tradidisse. Verumenimverò multa perpetrantur à piis & Deo dilectis hominibus, quæ laudanda interdum potius & admiranda, quam imitanda; & ideò ad cōmunē regulæ trahenda nō sunt. Non infrequenter singularis natura temporis locivé, & rerum quoq; diversitas suppeditat actori consilium, quod haud æquè in alio requireretur. Asserenda tum temporis à confessoribus rei Christianæ certitudo & veritas, & approbanda veniebat adeò in conspectu orbis universi, ut nondum confirmati satis, haberent testimonium cui inniterentur: id melius autē fieri haud poterat, quàm si magnanimi prodirent heroës qui summa tranquillitate animi obirent mortem, ob fidem, quam publicè vel docerent, vel sequerentur. Non enim sine insigni utilitate publicæ rei, & incremento nascentis Ecclesiæ audiebantur cædes constantissimorum hominum, qui non tantùm perseverantiam majorem popularibus doctrinæ salvificæ aspirabant; sed tacitos sæpè relinquebant stimulos inanimis persecutorum, adeò ut inquirerent altius inq; ipsas descenderent causas hujus, quam vocare solebant, pervicaciæ: mox deprehensâ cœlesti veritate, & profiterentur eam, & propugnarent; &, quâ affecerant ejus cultores, morte quo eâdem obire diem nihil quicquam recusarent.

XXVII. Quare quod de martyribus adfertur vel elabendi negatam occasionem, & quandam imbecillitatem virium arguit; vel singularem æquitatis laudem habet: quod, cum possint

sint vel fugere, vel repugnare, ad confirmandos socios, & contestandam doctrinæ veritatem, se interficiendos tradiderint. Interpretandum igitur neutiquam est, quod propter non concessam à jure facultatem resistendi talia perpessi sint; sed demonstrandam certitudinem suæ fidei. Potius rati, exquisitissima supplicia perferre, quam semel agnitum Deum negare. Hic erat certissimus finis, qui cum non intendatur hîc, diversitatem maximam videmus. neq; disputamus enim in præsenti, utrum ob gloriam DEI, confessionem fidei, & ostendendam ejusdem firmitatem, mors opperenda sit: sed utrum simpliciter non liceat resistere impotentiæ tyrannorum. Aliud igitur est, pati mortem, ut religionis certitudo confirmetur: aliud quod resistere non liceat. Exempla etiam hæc sunt, quæ hîc nobis jus simpliciter constituere nequeunt: ad regulas igitur in Sacris Litteris præscriptas erunt exigenda, quæ cum eum rigorem nullibi præcipiant, ex illis actis non debebit affirmari.

XXVIII. Cæterum quod adjungitur, sacram pietatis rem, ejus naturæ esse, quæ vi & ferrò neutiquam imprimatur hominum animis, & ideò quoque non propagandam iis instrumentis esse, quibus malitia opus habet; cum abludat omninò à scopo, nostram sententiam non ferit. Non disceptatur nunc, qua ratione introducenda cœlestis verbi veritas sit; an militum copiis & bellorum tumultibus superandæ hominum conscientiæ; nec primariò, utrum eadem dilatanda sit iis artibus, quibus pessimi quoque maximè confidunt. Sed illud unicè, utrum contra apertam vim se tueri queant illi, qui divinam veritatem professi semel, propter eandem injurias patiuntur. Cum igitur sententia nostra nihil de propagatione & introductione contineat, minime oppositâ erit illis Scripturæ locis, qui verbum divinum externâ violentiâ propagari & inculcari vetant. Nam de conservatione expedita res est. Tradita magistratui sacrorum cura; tradita simul potestas eadem tuendi; tuebuntur hæc pacificè

quamdiu intra imperium ſtabit negotium: ſtringent nihilominus, quem à DEO acceperunt gladium, quoties turbatores irrumpent, quos, quia præceptis non continent, armorum juſtitiâ arcebunt; non minus publicam rem, quam Eccleſiam hac ratione conſervantes, utriusq; laudabiles nutritii.

XXIX. Urgentius ferè inſiſtunt illi, qui majeſtatis objiciunt jura, quam Sacroſanctam adeò, atque inviolabilem voluit, qui primus ſanxit, Deus. Quæ ſi libera & immunis eſt ab omni nefario impetu, ſi ſubjectum habet per omnia populum, qui revereri eandem tenetur; abſurdum videbitur, concedere ſubdito poteſtatem, quâ contra dominum inſurgat; & tradere gladium, qui non niſi principi conveniens eſt & proprius. Non eſt, quod per ambages audiamus talia; fatemur juris hæc eſſe: ſed illud ſimul advertimus, non contra honeſtatem, nec æquitatem perpetrari, quæ conceſsimus populo. Ipſum regis jus certum eſt, & ſi ad rigorem exigendum veniret, tale quid haud admitteretur: verùm ut aliàs ſtricto juri præfertur merito æquitatis ratio, ita quoque in hoc negotio arbitrandum eſt. Ipſe, quod in confeſſo eſt, ſupremus Dominus, qui conſtituit regem ſuper gentem aliquam, eò fine concedit ei dignitatem hanc, ut loco DEI gubernet ac regat multitudinem. Quare, dum princeps munia ſua decenter obit, & ea admittit laudabiliter quæ origini ſui officii conveniunt, utique populus ipſi debet obſequium in omnibus, quæ DEI loco vicarius rex perficit: at quoties non ſolùm ipſe morum & vitæ ſpurcitie impugnat Deum perduellis: ſed ſimili crimine ſubditos obſtringere cupit, ut & ipſi deſciſcant à bono & adhæreant contra turpitudini & impietati blaſphemæ; quis non videt ceſſare priſtinum jus, cum ceſſet ratio, ob qvam erat conceſſum. Ubi variant igitur circumſtantiæ, quæ comitabantur ſtrictum majeſtaticum jus, æquitati locus erit, quæ ſubveniat ſententiæ legis, & corrigat eandem, in quibus recta ratio ſuadet coningendam.

XXX. Hoc æquitatis moderamen Sacræ literæ præſcriptum habent; quæ principi deficienti à DEO univerſum jus

regalis dignitatis & potestis sartum & tectum haud omnino reservant in iis; quæ contra mandata DEI præcipiuntur. Deberi obsequium regi, supra habuimus, & per se certissimum est: at verò hoc initiò statim denegant Apostolorum scita, quæ luculentissimè docent; plus DEO esse obediendum, quàm hominibus. Quod si nunc majestatis privilegia secundum rigorem ex circumstantiis, quæ observantur in bono rege, explicanda forent; simul obedientia præstanda esset principi in iis, quæ DEI voluntati contraria ntur. Quod, cum absurdum esset, ipsa emendatio adjecta est: quam & nobis extendere licebit; ubi eandem rationem deprehendemus: quæ in datâ resistendi potestate neutiquam abest; cum non præstita obedientia, quæ in sacris & divinis à DEO concessa est, resistendi quoddam genus sit.

Δ. Τ. Θ.

Ad

Eximium D. M. Respondentem,

magni ingenii & diligentiæ studiosum,

Amicum meum dilectissimum.

Æquum Te nuper thesibus, me Præside, doctis
In cathedrâ nostrâ proposuisse juvat.
Pessima nunc sævi proponis jura Tyranni,
Subditus & quanto jure cavere queat.
Ingenii recte sic vires exeris istas,
Quas Tibi naturæ dextra benigna dedit.

Præses.